

quia non infeudâisset *de novo*, tum, quia hoc refertur duntaxat ad res, quarum *dominium plenum* est penes Ecclesiam.

VIII. Imò, si qua sit *ex necessitate officii pastoralis* facienda alienatio rerum *pleno jure* ad mensam Episcopi pertinentium, non obstat juramentum. *Cap. fin. de Eccles. edific.*

IX. Quòd si Episcopus feudum sibi apertum semel iterum incorporâisset suæ ecclesiæ, jam subintraret juramentum. *Cap. 8. de reb. eccles. alien.*

X. Post Extrav. *Ambitiosæ* Pauli II, de anno 1468. requiritur ad hanc libertatem, ut res *ab antiquo* in feudum dari solita sit.

EX JURE CRIMINALI.

I. **A**it lex 6. §. 7. ff. de re milit. *Per vinum, aut lasciviam lapsis* (militibus) *capitalis pœna remittenda est, & militiæ mutatio irroganda.*

II. Conjunctio lapsus in delictum *ex lasciviâ*, i. e. petulantia, cum illo *ex ebrietate*, ostendit, ad remittendam ebrio delinquenti pœnam *ordinariam* non requiri *omnimodam* usûs rationis *privationem*, sed sufficere *absentiam doli*, i. e. mali studiosè propositi.

III. Ebriorum *tres gradus* distinguimus; alii enim 1.) sunt *modicè ebrii*, quorum mentis præsentia parùm læsa est vino, vel zytho. 2.) Alii *immodicè* sive *enormiter ebrii*, qui ad conditionem puerorum, vel infantium septennio propinquorum redacti sunt. 3.) Alii verò in *extremo apice*, sive *enormissimè ebrii* sunt, assimilati furiosis, aut mente captis, in quibus nulla penitùs lux rationis, nullus *actus humanus*, meri *actus hominis*.

- IV. *Primus gradus non meretur remissionem pœnæ ordinariæ, quia consistit cum dolo.*
- V. *Secundus meretur pœnam, non solius ebrietatis, sed ipsius etiam delicti in illâ commissi, attamen extraordinariam duntaxat.*
- VI. *Tertius solius ebrietatis, nullam, ne extraordinariam quidem, ipsius delicti in ebrietate patrati.*
- VII. *Qui ad subtrahendum à pœnâ ebrium requirunt, ut iste, instar facci farinâ repleti, motus omnis, sensûsque animalis expers fuerit, impingunt contra S. Scripturam Gen. 19. v. 33. & 35.; Loth enim ita fuit ebrius, ut mente non senserit, quod corpore egit cum filiabus suis; indéque S. Augustino relato in can. 9. XV. q. 1. culpatur, non pro incestu, sed pro ebrietate solâ.*
- VIII. *Hinc est exotica illa quorundam decisio, quòd, quantacunque fit ebrietas, non tamen omnem rationis usum tollat, sed aliquem relinquat.*
- IX. *Hoc assertum non evincit ebrii, ut ut fortè apposita ad rem, loquela, nec directio nocentis actionis in unum præ cæteris, neque voluntatis e. g. occidendi declaratio, aut facti defensio, neque fuga post actum; hæc enim & puer, imò infans sæpè facit, & tamen absque dolo.*
- X. *Unde ergo practicè æstimabitur ebrietas, excusans respectivè in tantum & totum? R. Præter indicia ex gressu, cæterisque actibus temulenti, præprimis à quantitate, & qualitate potûs, notabiliter excedentibus capacitatem bibendi individualem sine inebriatione: **

* Multum ad excusationem istam contribuunt 1.) amicitia præcedens, 2.) ira per injurias in rixâ provocata, 3.) non capta fuga, vel latibula, 4.) Dolor mox proditus intellecto maleficio. Factum Alexandri M., in temulentiâ irritati, charumque

que sibi Clitum occide
tanda accusantium ing
I. Confito de suff
quia à sic delinquent
vultu, super articulo
II. Imò nequidem in
explorabitur per ista
certò non sciat statu
III. Quod refert F
Pittaco eorum uno
latam esse per ebr
tisque est anno 153
injultum verò, si p
morte afficeretur in
IV. Planè, si quis cur
ordinaria justè huic d
EX JU
it § 3. Tit. 14. no
ung der Interesse
ergentis, kein Stre
misses, nemlich fünf
Loquitur Sphus iste
earum, solvendis.
In morâ vult cum
diti, aut per hominis i

que sibi Clitum occidentis, narrat *Q. Curtius lib. 8. cap. 2.*, servitque ad refutanda accusantium ingesta contra remulenticæ probationem.

XI. Confito de *sufficiente* ad ebrietatem *causâ*, præsumetur effectus, quin à sic delinquente prætendi possit *tortura spiritualis*, aut *corporalis*, super articulo præsentiae animi.

XII. Imò nequidem *in dubio* de immodicitate ebrietatis veritas animi explorabitur per istas torturas; cùm homo, sibi à crapulâ restitutus, certò non sciat statum suæ mentis pro tempore ebrietatis.

XIII. Quod refert *Plutarchus* in convivio 7. Sapientùm Græciæ, à *Pittaco* eorum uno *duplam* ejus, quæ sobrio infligeretur, *pœnam* latam esse per ebrietatem peccanti, suo modo justum erat, secutusque est anno 1531. *Carolus V. Imp.* in constitutionibus Belgicis; injustum verò, si *planè* quis ebrius deliquerit, aut *immodicè ebrius* morte afficeretur instar sobrii.

XIV. Planè, si quis cum proposito delicti se *studiosè* inebriasset, pœna ordinaria justè huic dictaretur.

EX JURE TREVIRENSI.

Ait §. 3. *Tit. 14.* nostri juris statutarii: und damit über Erweisung der Interesse, so wohl ratione lucri cessantis, quàm damni emergentis, kein Streit entstehe, wollen wir selbiges auf ein gewisses, nemlich fünf vom hundert, hiemit modificiret haben.

I. Loquitur §phus iste de usuris, *ex morâ solùm*, citra stipulationem earum, solvendis.

II. In morâ vult cum jure communi constitui debitorem, aut per *diei*, aut per *hominis* interpellationem.

III. Mo-